





7585.

*Q. F. E. Q. S.*  
DISSERTATIO JURIDICA  
*D E*  
ALIENATIONE  
PIGNORUM,  
*QVAM*

DEO T.O.M. bene juvante  
*P R A E S I D E*

DN. JOHANNE GEORGIO  
SCHERZIO,  
J. V. D & P. P. Ordinario,  
& h.c. Fac. Jurid. DECANO,

IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
VNIVERSITATE

*SOLENNITER defendet*

JOH. BAPTISTA WENDEL, de  
HAYANGE, Wolmeringensis,  
*A U C T O R.*

*4 Octobr.*  
A. diem ~~8~~ Septembri Anno M DCC XX.

---

*ARGENTINÆ.*  
LITERIS JOHANNIS PASTORII.

D E O,  
P A T R I A E,  
P A R E N T I B U S  
E T  
A M I C I S.





## PROOEMIUM.

**D**isputatione Fori multa olim, ceu ex Historia Juris constat, dubia in Jure à Jurisconsultis evolvebantur, atque ita ad veritatem inveniendam via pandebatur. Idem earum, quæ in scholis agitantur, Disputationum finis esse debet. Non enim gloria aucupanda gratia, sed veritatis vel asserenda, vel invenienda causa, est disputandum. Et hoc ipsum, Benevole Lector! est id, quod opella hacce mea, publice in Eruitorum confessu solenni ventilanda, intendo. Qua si verum erui, aut eruendi occasionem prabeo, voti mei damnatus mihi videor. Tu hoc agenti fave, & se Hominem esse, facile agnoscendi humana ratione ignore.

A 2

§. I.

## §. I.



Lienandi quidem Facultas est Dominij Particula: (nam, uti Illustris SCHIL-  
TERUS in *Instit. Jur. Civ. ad tit. de Reb. Corp. & Incorpor. aph. 2.* loquitur, Dominii par-  
tes præcipue sunt: jus habendi pro suo, jus li-  
bere administrandi & disponendi, jus utendi fru-  
endi, jus alienandi,) non tamen dominio vel sem-  
per vel soli cohæret. vid. pr. *Inst. quib. alienare li-  
cer vel non.* Est hinc ut circa Pignora videamus,  
illa non tantum à Debitoribus ipsis, tanquam  
Dominis illorum, sed & à Creditoribus, qui jus  
Dominij in pignora nullum habent, alienari. De  
hisce Alienationibus Pignorum quædam, liti ami-  
cæ materiam datura, in medium afferre animus  
est.

## §. II.

De Alienatione pignorum acturis duo potis-  
simum in oculis versari debent; primo in quan-  
tum Debitor rem, alij oppignoratam, possit alie-  
nare; secundo in quantum Creditor rem, sibi op-  
pignoratam, distrahere queat. Videamus primo  
de Debitore; de quo ante omnia quærendum: An  
ille pignus alienare possit? Negandum illud esse,  
videri posset, ex eo, quia Debitor, pignus consti-  
tuendo, jus in re in Creditorem transfert; quo  
ipso credi posset, ipsum facultatem alienandi à  
semet abdicasse. Verum enim vero analogie &  
juris nostri textibus magis convenire censenda  
est

est sententia illorum, qui facultatem alienandi Debitori salvam mansisse tradunt. Quo facit omnino Lex XXXV. §. 1. ff. de pignorat. actione. add. Lex IX. Cod. eod. Unde manifestum est, non obstante oppignoratione, pignora in bonis debitorum & in dominio, cuius effectus est facultas alienandi, manere. Cui non obstat Lex III. §. 1. de Crim. stellionat. ubi dicitur: maxime in his locum habet Stellionatus: si quis forte rem, alii obligatam, disimulata obligatione, per calliditatem alii distraxerit, vel permutaverit, vel in solutum dederit: nam ha omnes species stellionatum continent. Stellionatus enim hic non dicitur committi, quia Debitor alienans facultatem alienandi non habuit; sed quia ipse Creditorem suum, rem aliis obligatam alienando, decepit. Aequa parum obstat Lex XIX. §. 5. & L. LXVI. in princ. ff. de furtis. ex quibus Doctores concludunt, quod Debitores, pignus alienantes, furtum committant respectu Creditoris. Sed & hic res salva est. Loquuntur enim iliae leges de casu, ubi vel Debitor pignus Creditori surripuit, vel si non surripuit, dolose alienavit. e. g. Rem mobilem in incognitum, & qui non facile conveniri potest, fraudandi animo transferrens. Firmat autem sententiam nostram non parum L. VII. §. 11. ff. de distract. pignor. ubi queritur, quid juris sit, si pactum sit à Creditore, ne liceat Debitori hypothecam vendere; qua questione opus plane non fuisset, si Debitori, generaliter jus alienandi pignus, esset ablatum. Scilicet potest Debitor pignus alienare ita, ut alienatio per se subsistat, & contra ipsum ex alienatio-

A. 3.

ne illi,

ne illi , cui alienavit , actio competit ; sed salvo jure pignoris cum expressi , tum taciti . vid.  
*L. unica Cod. rem alien. gerentibus.* Quod etiam verum esse arbitramur cum *Hertio* in casu dictae legis  
*VII. §. final.* si scilicet Debitor pacto promiserit , se rem non alienaturum . conf. *Mudeus ad tit. ff. de*  
*pignor. & hypothec. rubr. de pact. pignor. num. XVIII.*  
*& Hertiis in Diff. de Pacto*, ne rem suam Dominus  
*alienet. §. 2.*

### §. III.

Sed quid dicendum , si Debitor pignus alienet ,  
 sciente Creditore ? an etiam tunc Creditori jus suum salvum manisse , credendum est ? In affirmantium partes trahi quis possit per notissimam illam juris regulam : qui tacet , consentire videtur . vid.  
*Menochius L. VI. præsumt. præsumt. 99.* Quod confirmatur per *Leg. CLVIII. ff. R. J.* ubi dicitur : *Creditor qui permittit rem venire , pignus dimitit.* Sed hisce non obstantibus arbitramur , satis clarum esse ex legibus nostris , solam scientiam non sufficere ad jus Creditoris tollendum . Manifestum id in primis facit *L. II. Cod. de Remiss. Pignor.* ubi *Severus & Antoninus* ita rescribunt : *Si probaveris , te fundum mercatum , possessionemque ejus tibi traditam , sciente & consentiente , ea , quæ sibi eum à venditore obligatum dicit , exceptione eam removebis.* Conf. *Lex IV. eod.* ubi idem statuitur : *Si debitore sciente ac pignus suum , remittente , est mercatus.* *Lex IV. §. 1. ff. quibus modis pignus solvitur.* Conf. omnino *Jacob. Gotobfredus ad Leg. CLVIII. & CXLII.*

CXLII. ff. de R. I. ubi ad dubia supra mota sole respondeat.

§. IV.

Nunc de Creditore dispiciendum, in quantum ille pignus alienare possit, vel non possit. Occurrunt autem hic tres notabiles casus. Interdum enim nulla est conventio de alienando vel non alienando. Interdum adest conventio de alienando. Interdum intercedit conventio de non alienando. Si adest Conventio de alienando, facile liquet, creditorem cum alienat, nihil agere aliud, quam ut jure, à debitore concesso, utatur. Potuit autem Dominus rei, cuius arbiter est & moderator, hanc legem dicere: nec opus est, ut ante alienationem creditor specialiter debitori denuntiet se pignus alienaturum. Quodsi autem pactum nullum intercessit, tunc non tantum requiritur, ut creditor alienatus denuntiationem ad debitorem interponat; sed præterea, ut post denuntiationem adhuc per biennium expediat, antequam ad alienationem descendat, vid. *Lex fin. Cod. §. I. de jure Domin. impetrand.* Quodsi autem pactum intercesserit de non alienando, creditor tamen alienandi habet facultatem. Est enim illud pactum contra substantiam pignoris; pignora enim ideo constituuntur, ut ex illis creditor satisfactionem suam in casu non soluti debiti querat. vid. *L. V. ff. de diftract. pignor. L. IV. in fin. ff. de pignorat. action. Lex I. & II. Cod. debitorem venditionem pignoris impedire non posse.* Quamvis autem in hoc casu creditor alienandi facultatem habeat, eodem

eodem tamen jure non gaudet, ac ille, cum quo nihil pactum. Debet enim non unicum tantum, sed tres interponere denuntiationes. Sed num etiam hic per biennum exspectandum? Mire hic in partes scinduntur Autores: qui id negant, fundant se in silentio legum, in primis final. Cod. de jure dom. impetrand. dicuntque trinas illas denuntiationes supplere locum biennij. Ast cum à ratione alienum sit, ut durioris loco habeatur ille, qui non promisit, se pignus non alienatum, ac ille, qui expresse, se non alienatum esse, pollicitus est; non possumus aliter, quam ut statuamus, in casu hocce ultimo etiam biennum esse exspectandum, & legem illam ita esse explicandam, ut, quod de biennio ante dictum fuerat, ~~ad rē non~~ in posteriori casu repetatur.

## §. V.

Notandum autem, quod, si inter Creditorem & Debitorum pactum fuerit factum de alienando, e.g. si Calendis Decembribus debitum non fuerit solutum, & postea contingat, ut hic terminus prorogetur e.g. in Calendas Julias anni sequentis; tunc potestas alienandi etiam prorogata censeatur juxta L. IX. ff. de distract. pignoris, ubi Papinianus ait: cum solvende pecunie dies pacto profertur, convenisse videtur, ne prius vendendi pignoris potestus exercetur. Conf. L. IX. §. 3. ff. de pactis.

## §. VI.

Obtinet autem hoc jus alienandi non tantum, si debitor plane nihil solvit, sed etiam si aliiquid

quid solvit quidem, sed non totam summam, quod clare indigitat l. 6. Cod. de distract. pignorum, ubi Gordianus rescribit: quamdiu non est integrum pecunia Creditori numerata (etiamsi pro parte maiore eam consecutus sit) distractabendi rem oppignoratam non amittit facultatem: nam jus pignoris est individuum. l. 64. ff. de Evictionibus. videatur Gorhofredus nota 2. ad l. 6. Codicis de distract. pignor. Quodsi eo tamen tempore, quo Creditor ad alienationem convolare vult, id quod adhuc debet de majori debito, solvere paratus est Debitor, idque offert Creditori, hoc ipso facit, ut, si Creditor de facto alienet pignus, alienatio nulla sit.

## §. VII.

Contingit sape, ut eidem Creditori plures res sint oppignoratae, quarum aliquas Debitor magis quidem amat, sed quas forte Creditor facilius vendere potest; hic itaque queritur, an ex pluribus Creditor illas, quas vult vendere possit? Pro negativa pugnare videtur, quod regulariter Elec<sup>tio</sup> sit Debitotis. vid. l. 10. ff. de jure dotium. locc 34. §. 6. de jurejurando. Verum responderi potest, id tantum locum habere, si quis obligatus sit alternative. vid. l. 138. ff. §. ult. de verb. oblig. l. 10. Cod. de Conditione indebiti. l. 39. §. 6. de Contrah. emt. vend. §. 33. J. de actionibus. nunc autem in nostro Casu non adeat obligatio alternativa: Res enim illae omnes æqualiter sunt obligatae, & ad eas vendendas, pro rata tamen debiti, æquale jus habet Creditor. vid. l. 8. ff. de distract. pig.

## B

## §. VIII.

## §. VIII.

Quod si Creditor alienaverit pignus, illud autem tanti non sit pretij, ut quantitatē debiti æquet; salva manet Creditori contra Debitorem aut Fidejussorem actio personalis ad petendum reliquum, seu hyperocham. Prout clare definit Imperator Alexander *L. III. Cod. de distract. pignor.* dicens: *hypothecis vel pignoribus à Creditoribus vendundatis ad id, quod deest, adversus reum vel fidejussorem actio competit. conf. L. IX. Cod. eod. Lex IX. in fin. ff. eod.* Quod adeo verum esse arbitramur, ut existimemus, illud ipsum etiam obtinere in casu, si Creditor pignus, vel cum jus non haberet, vel cum jus quidem haberet, illegitimo tam modo, alienavit.

## §. IX.

Contraria ratione si pretium superet quantitatē debiti, Creditor tenetur superfluum restituere Debitori. vid. *L. 20. Cod. de Distract. Pignor.* Cujus occasione inter Doctores queritur: an Creditor ad hoc ipsum etiam teneatur, si convenerit, ut quod ex venditione pignoris redegerit Creditor, id omne Creditor sibi habeat? Multi id adfirman. Nobis contrarium veritati magis convenire videtur. Eadem enim ratio, quæ Constantimum movit, ut Legis commissoriae usum in pignoribus per *l. 3. Cod. de Pactis Pignor.* abrogaret, talis etiam facti validitati repugnat. Ut enim, si lex commissoria pignori adjici valide posset, facile contingret, ut Debitores, pecunia indigentes & res, qua-

quarum pretium plerumque multo majus est illa pecuniae quantitate, quam accipiunt, pignori offrentes, rebus suis cum insigni damno privarentur; ita idem continget, si pactum hoc nostrum esset licitum. Casu rem illustrare liceat. Andreas, centum thaleros mutuo accipiens à Bernhardo, oppignorat eidem vasa aurea, quæ valent 500. aureos, cum pacto; si intra annum pecuniam illam non sit restituturus, Bernhardus vasa illa vendere possit, & pretium, redundans inde, loco debiti sibi reservare. Quod si fit, æque læditur Andreas, ac si convenisset, quod Bernhardus, si restitutio debito tempore non fuerit facta, sibi vasa retinere queat. Qui ab adversa stant parte, hanc quidem allegant differentia rationem, quod incertus sit eventus venditionis, adeoque propter illam incertitudinem tale pactum valeat. Sed hanc rationem ficalhem esse arbitror, quia etiam in casu legis commissoriæ incertum est, quodnam pretium res oppignorata eo tempore sit habitura, quo juxta legem conventionis restitutio pecuniae fieri debet. Tenebitur etiam Creditor ad usuras Debitori solvendas, si ipse hyperocham veneret, aut ipse ea pecunia superflua usus sit. Aliud tamen obtinet, si superfluum illud depositum habeat apud Judicem, absente forte Debitore quod indigitare: videtur L. VI. §. 1. ff. de pignor. act. conf. Schilterus ad Pand. Exercit. XXVI. §. 12.

## §. X.

Si casus incidat, ut uxor alicujus pro mariti debito res suas oppignoret, & Creditor postea illas alienet, queritur: An Alienatio sit valida? Id quod negatur. Est enim haec oppignoratio species intercessionis, quae omnino in Jure nostro improbatur. vid. Lex V. in princ. L. VII. juncta aut. Si qua mulier. C. ad SC. Vellej. Quodsi tamen mulier talis consensit oppignorationi rerum suarum à marito factæ, decipiendi proposito, oppignoratio & per consequens etiam alienatio valebit. vid. L. V. Cod. ad SC. Vellej. L. XI. Cod. de Distract. pignor. Jura enim non subveniunt decipientibus, sed deceptis. juxta L. II. & III. Cod. Si minor se majorem dixerit. Lex XXXVII. ff. minor. de virgin. quinque annis. L. II. §. 3. ff. ad SC. Vellej. ubi dicitur: ita demum SCtum feminis intercedentibus subvenit, si non callide sunt versatae, hoc enim Divus Pius & Severus rescripserunt. Nam deceptis non decipientibus opitulatur; & est Gracum Severi rescriptum, ταῦς ἀπαλώσεις γυναικὶ τὸ δέρμα τῆς συγκλήτη βραχὸν & ποδῶν, i. e. decipientibus mulieribus SCtum auxilio non est. Infirmitas enim seminarum, non calliditas, auxilium demit. Quando itaque ex parte uxoris nulla fraus in oppignorando intervenit, illa rei vindicatione rem venditam à quovis possessore poterit repetere. vid. L. XXXIX. & L. LX. de Rei vindic.

## §. XI.

Potest autem haec alienatio non tantum auctoritate Magistratus (de quo minus dubii superfest) sed etiam privata auctoritate fieri, uti ex toto titulo *ff. & Cod. de distract. pignor.* aliisque textibus apparet. Licet enim hinc inde in hac materia Praesidis aut Prætoris mentio fiat, facile tamen apparet, id non ita fieri, quasi interventus Magistratus ad valorem alienationis absolute esset necessarius; sed quod Consultum interdum sit, ut accedente Magistratu id fiat. Jure Gallico autem pignora privata auctoritate distrahi non possunt: uti docet *Auctor de l' Institution au Droit François L. IV. C. III. des Gages, &c. Hypotheq. &c.* p. 423. Et 424. qui modum distrahendi ita exponit: *Le créancier ne peut pas disposer de son autorité privée des meubles qui lui ont été donnés en gage; mais si le débiteur ne paie pas dans le temps dont on est convenu, le créancier doit présenter Requête en Justice, et demander permission de faire vendre les gages pour être payé; cette permission lui est accordée en connaissance de cause, partie présente, ou dièmement appellée; et en suite il doit faire vendre la chose engagée publiquement par un Sergent, au plus offrant et dernier enchérisseur; les frais sont préférés sur le prix de la chose; en suite celui qui l'a achetée, et enfin s'il y a des deniers de reste, ils doivent à qui la chose a été engagée, est payé de ce qui lui est être rendus à celui qui avoit donné le gage, ou à ses créanciers, s'il y en a qui se soient opposés à la vente ou à la délivrance des derniers. de Moribus hodierinis. aliorum vid. Voëtius in Comp. Jur. ad ff. L. XX. tit. V. §. VIII.*

## §. XII.

Licet vero Jure Romano Creditori permisum sit, pignus privata auctoritate alienare; aliter tamen id facere non potest, quam postquam Debitori notum fecit, se venditionem suscipere velle. Eo scil. fine fieri hoc debet, ut debitor possit adesse venditioni & videre num bona fide peragatur; ne postea Creditori objici possit, venditionem illam dolose per collusionem cum emptore & viliori pretio esse factam. Id quod verum esse arbitramur, etiamsi pactum de alienando intercesserit. vid. L. IV. Cod. de distr. pignor. add. Beilerus in Delin. J. C. ad ff. ad eund. titul. num. III.

## §. XIII.

Oritur hic questio, an, si Creditor alienans pignus, jus quidem alienandi habuerit, sed in distractione dolis fraudibusque usus sit, Debitori competat actio realis contra Emptionem? Quod arbitramur negandum esse; cum tali Debitori nihil aliud competat, quam actio pignorantia ad interesse contra Creditorem. vid. L. X. Cod. rescind. venditione, ubi dicitur: *Si quid in ea re, id est, venditione pignoris fraudulenter fecerit Creditor, non Empor à te, sed Creditor convenientius est.* Id quod verum esse etiam censemus, si Creditor non sit solvendo. Aliter tamen judicandum est, si Emperor fraudis sit particeps; ceu hoc apparet ex L. I. Cod. *Si vendito pignore agatur.* ubi Imperator Alexander notabiliter dicit: *Quodsi de bonis Creditori*

ris condemnata solvi pecunia non potuerit & probatum fuerit, emptorem mala fide emissum: offerente te pecuniam cum usuris quanti simus venit, restituere tibi sumendum cum fructibus mala fidei emptorem jubebit. add.  
Lex III. Cod. eod.

## §. XIV.

De Evictionis præstatione etiam disputari potest: an Creditor, pignus alienans, de eadem, si res alienata evincatur, teneatur? Solent quidem aliqui simpliciter cum *Lauterbachio in Comp. J. ad tit. Pand. de Distr. Pignor.* dicere: *si tertius rem distractam evincat, Creditor, qui vendidit, de evictione non tenetur.* Provocantes ad *L. XI. §. 17. de Action. empt. L. X. de Distr. Pignor. t. t. Cod. Creditorem Evictionem pignoris.* Rationem addunt, quia Creditor non suo, sed Debitoris nomine vendit. Verum caute hic incedendum. Quid enim? si tale pignus evincatur ab alio Creditore, potius jus se habere probante? Sane enim tunc nullo iure Emptor posset remitti ad petendam evictionis præstationem à Debitore; cum res evicta fuerit vitio Creditoris minus jus habentis. Nam certissimi juris est, quod Creditor, vendens pignus, utique præstare debeat potiorem se cæteris esse Creditoribus; uti loquitur: *L. I. Cod. Creditorem Evictionem pignoris non debere.* Et aequitati nihil magis convenient, quam ut is, qui pignus, i.e. jus in re suo nomine vendit, ejus etiam evictionem præstet: prout etiam decidit *Mevius P. II. Decif. 360. num. fin. & Decif. 367.* Et in *Curia Halberstdiensis in Causa Stoppers contra Heissen in Con-*

tra...

¶ ( 16 ) ¶

*tradiditio ita judicatum fuisse testatur Coccejus in  
Jur. Civ. Contr. P. II. p. 53,*

§. XV.

Quid autem tum juris erit, si pignus evincatur, non propter defectum Juris in Creditore, sed ob vitium in Débitore hærens; & Creditor nominatim Eviictionem promiserit? Multi quidem existimant, Eviictionis præstationem etiam nominatim ita promissam non esse faciendam. Ait contrarium suadent *L. I. & II. Cod. Creditorem Eviictionem pignoris non debere*, ubi expresse dicitur: *Creditorem non teneri ad eviictionem præstandam, nisi nominatim hoc repromissum fuerit à Creditore.* Volunt quidem diversæ sententiæ assclæ hanc eviictionis præmissionem restringere ad veritatem nominis; sed in hoc eos labi inde patet; quia etiamsi nulla præmissio intervenisset, veritas nominis præstare debuisset. vid. *L. IV. ff. de Hæred. vel Act. Burgundius de Eviict. c. 2. n. 5.* Si itaque nolumus recedere regulam Jutorum, quod verba cum effectu sint accipienda, & quod interpretati ita sit facienda, ut verba aliquid operentur, nec sint superflua; de qua vid. *Vigel. in Dial. Jur. p. 327. & Barbosan in Thesaur. Loc. Comm. L. IX. cap. 105. n. 15.* Non aliter possumus, quam ut dicamus, in hoc Casu Creditorem non tantum debere præstare Eviictionem ratione veritatis, sed etiam ratione bonitatis.

§. XVI.

Porro disquiri potest, an si Creditor pignus aliena-

alienavit, quod ille, cuius heres factus ipse est, potuisset evincere, id etiam ipse Creditor postea facere possit. Casus hic est. *Andreas rem Bernhardi Cajo oppignoravit, postea cum debito tempore Andreas pignus non liberat, Cagus illud vendit Davo: deinde Cagus fit heres Bernhardi; quo facto ipse vi juris, quod Bernhardus habuit, quodque in Cagum jure successionis est devolutum, id vult evincere.* Quæritur an id possit? Negandum id esse, nobis videtur. Quamvis enim *Cagus Bernhardo successerit in omne ius, æquitati tamen repugnat, si Creditor, qui ipse Davo pignus vendidit, contra proprium factum venire vellet.* vid. *L.XV. ff. de Adoption. L. XI. ff. de Servit. rusticor. prædior. & Barboſa in Thes. Loc. Comm. L. VI. c. III. n. 24.* Est hinc, ut emptori adversus venditorem rei alienæ, qui ex dominio, postea adquisito, rem aliquam vindicat, opponi possit exceptio rei venditæ & non traditæ. vid. *t. t. de Exceptione rei venditæ & non traditæ.* Ex eodem fonte fluit, quod, si non Dominus rem alterius vendat, postea autem veri Domini fiat heres, & res illa à bonæ fidei possessore in manus Venditoris perveniat, Emptori *actio Publiciana* detur adversus Venditorem. vid. *L. LXXII. ff. de rei vindic. L. IV. §. 32. ff. de dolim Except. L. LXVIII. §. 15. de damno inf. Lex. XXVIII. ff. de Noxal. action.* Quam æquitatis rationem etiam in Casu nostro clare agnoscit *Paus. L. X. ff. de Distr. pignor.* ubi dicitur: *non esse audiendum Creditorem, qui fundum vendidit, si velit ejusdem rei ex alia causa questionem movere.* conf. *L. X. ff. de Eviiction.*

## C

## §. XVII.

## §. XVII.

Notandum denique, quod, si semel alienatio pignoris legitime & rite fuerit facta, Debitor illud a tertio, qui illud emit, repetere non possit, licet ille Emptori premium Emptionis cum usulis offerat. vid. L. VII. §. 1. ff. de Distr. pign. Quod aliter tamen se habet, si Debitor minor sit annis 25. aut pupillus, aut rei publicae causa absens, aut in aliqua earum caussarum sit, ex quibus majoribus etiam Edicto Praetorio succurritur. Idem hocce etiam obtinet, si secundus Creditor, vel Fidejussor, soluta priori pecunia, Emtionis titulo pignora susciperet. vid. L. V. §. 1. L. II. & VI. ff. de Distr. Pignor. Caterum uti Debitor post alienationem pignoris, rite celebratam, offerendo premium, illud repetere non potest; ita secundus Creditor multo magis id facere prohibetur. juxta L. III. ff. de Distr. Pignor. add. L. I. & III. Cod. Si antiquior Creditor pignus vendiderit. Plura quidem adhuc de alienatione pignorum possent addi; sed hæc amico cum eruditis certamini sufficere queunt.

*SOLI DEO GLORIA.*



1018

ULB Halle  
007 430 779

3





Farbkarte #13



1585. 1720,7

*Q. F. F. Q. S.*

DISSERTATIO JURIDICA  
DE ALIENATIONE PIGNORUM,  
*QUAM*  
DEO T.O.M. bene juvante  
*P R A E S I D E*

DN. JOHANNE GEORGIO  
SCHERZIO,  
J. V. D & P. P. Ordinario,  
& h.t. Fac. Jurid. DECANO,

IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
VNIVERSITATE

SOLENNITER *defendet*

JOH. BAPTISTA WENDEL, de  
HAYANGE, Wolmeringensis,  
*AUCTOR.*

A. diem *4. Octobr.* Septembris Anno M DCC XX.

ARGENTINÆ,  
LITERIS JOHANNIS PASTORII.